

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

CXXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperitur.

CXXXV. Damnatorum vox, quod subjectum est tractationis nostræ, *πολιτικὸν* est, neque uno ubique modo accipitur. Nam primò, cum quis vel in civili societate ab eo, qui majestate gaudet, sive ad pecuniariam multam, sive ad pœnam corporis: vel in Ecclesiæ cœtu, à DEO, aut eo, qui DEI vices gerit, damnari possit, ultrò patet, damnationem vel civilem esse, vel Ecclesiasticam. Sic Cicero Oratione in Verrem: *Navius injuriarum damnatus est.* Epist. ad Attic. *Lepidus positis armis de vi damnatus est.* Pro Flacco: *Nicomedes & furti & pro socio damnatus est.* Amosus Propheta, c. II. 8. *Vinum* *οἶνον*, juxta Vulgatam: *damnatorum bibebant in domo DEI sui*, hoc est, interprete Imm. Tremellio: *de spoliis eorum, qui iniuste damnati fuerunt, epulum Diis suis faciunt, palamque inter se convivantur.* Latro alter ad latus crucifixi Christi ad alterum: Lucae XXIII. 40. *Neque tu times DEum, quod in τῷ αὐτοῦ κέλευματι, in eadem damnatione es.* Syrus: *Qui etiam in ipso es judicio; Tremellius: hebraicus est: in eadem es condemnatione.* Sed de præsentî damnatione, deque hunc in modum damnatis controversiam hic & sermonem nobis nullum esse, omnes dubio procul, nobis etiam non momentibus, facile animadvertunt.

CXXXVI. Qui verò in Ecclesiâ damnantur, illi Divinum judicium super commissa à sese peccata subeunt, pœnisque peccato debitis addicuntur. Judicis hic *αὐτοκράτορα* officium sustinet severissimum justissimumque Numen, quod sententiam suam, immediato Spiritus sui ductu dictatam, scriptoque infallibili comprehensam, quandoque hominum ministerio dici evulgarique curat, quandoque dicit & profert ipsum. Lex à DEO sancta hæc est: *quicumque non facit omnia legis, est maledictus.* Deuteron. XXVII. 26. Et: *quisquis non crediderit, damnabitur.* Marc. XVI. 16. Damnatus igitur lege omnis is est, qui peccat, quique non credit. Quâ tamen in duplici damnationis causâ hoc est differentiæ, quod omne quidem peccatum damnationis meritum, sola autem infidelitas actum damnationis conciliet. Ex quo & ipsa damnatorum vox hoc discrimen trahit, ut aliquando eos notet, qui obli-